



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XCI. Vtrum peccata venialia sint materia sufficiens huius Sacramentiß

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Quia lex præcipiens confessionem obligat diuersimodè pro diuersis circumstantiis. Nempe obligat ad integritatem materiale, quoad fieri poterit. Potestas autem ad hanc integritatem est diuersa pro diuersis circumstantiis. Vnde, licet hoc sacramentum possit aliquando esse validum, & formatum, exhibita confessione materialiter non integra, ob impossibilitatem, seu physicam, seu moralem huius integritatis; non propterea semper tale esse potest absque eadem integritate. Quæ videlicet plerumque est possibilis, tum physicè, tum etiam moraliter. Fallit itaque obiectio, quatenus loquitur de hoc sacramento, tanquam de toto quodam purè physico, cum sit quoddam totum morale, vti apparet clarius ex vnitatem specifica eiusdem sacramenti impensè habentibus peccata specie diuersa, quorum proinde confessiones, & exteriores manifestationes sunt diuersæ speciei physice, vt alia eiusmodi prætermittam innumera.

Art. 1. Ad 10. Peccata lethalia sunt materia directè necessaria huius sacramenti, quatenus ratione eorum necesse est suscipere hoc sacramentum, & consequenter necesse est omnia illa, & singula in ipso explicare. Peccata verò venialia solum possunt esse materia indirecta necessaria, quatenus imponitur alicui præceptum obligans directè ad hoc suscipiendum hoc sacramentum, siue commiserit sola venialia, siue non. Cui præcepto satisficit explicato aliquo veniali, & prætermisissis reliquis; imo, & prætermisissis omnibus, si adsit aliquod lethale. Quod contingere minimè posset, si præceptum obligaret directè ad confessionem venialium, seu si venialia, ex natura rei, essent materia necessaria.

Art. 2. Cæterum communis eademque verè proculdubio sententia est posse, per legem, præceptum, aut votum, imponi obligationem grauem suscipiendi istud sacramentum, tametsi non adsint nisi peccata venialia. Quia licet deletio venialium secundum se sit absolutè quid leue; susceptio nihilominus sacramenti est res magni absolutè momenti, & multiplicitate ex capite valde utilis; ac necessaria ad plures fines minimè leues; ideoque est materia sufficiens obligationis grauis. An talis sit obligatio resultans ex præcepto annuæ confessionis omnibus adultis fidelibus, communi? an verò illi satisfaciatur venialium tantum reus præsentando se Parocho, & monendo se solis venialibus premi? In vtramque partem probabile est.

Art. 3. Longè tamen probabilius videtur, pro eo casu, non esse impositam obligationem grauem sacramenti reipsa suscipiendi. Quia Concilium Lateranense, ex quo emanauit ista annuæ confessionis obligatio eam imponit his verbis: *Omnes vtriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenierint, omnia peccata solum semel in anno confiteantur*; vt habetur cap. *Omnes vtriusque sexus*. Sub ea autem peccatorum omnium expressione non potuere comprehendendi venialia. Si enim ea quoque comprehenderentur, imposita fuisset obligatio vniuersalis confitendi omnia venialia. Quod est planè absurdum, & impossibile. Accedit Concilium Tridentinum declarans capite illo quinto, Ecclesiam, per hoc præceptum, solum addidisse præcepto diuino determinationem temporis. Dictum autem est supra, præceptum diuinum esse de solis lethalibus. Quapropter, qui non habet, nisi sola venialia, non tenetur de facto loquendo per se, ad annuam confessionem ex vi præcepti illius vniuersalis.

Ad 11. Communis, & vera Suarez, aliorumque responsio est, Nectarium solum prohibuisse confessionem publicam, quæ prius fuerat in vfu, præsertim circa peccata aliqua grauiora, & scandalosa. Chrysostomus deinde fouit hanc eandem prohibitionem. Licet autem aliquoties vtatur formulis, quæ videri

possent complecti confessionem etiam secretam coram solo sacerdote, vt Vicario Dei; nihilominus, quia controuersia tunc celebris feruebat de sola confessione publica, facile eo omnia trahebantur ab audientibus, quocunque demum modo efferrentur. Nempe testimonia, quæ hac de re proferuntur omnia sunt ex hominibus ad populum. A nobis verò ideo sunt certius cum in sensum accipienda, quia idem Chrysostomus, aliis in locis clarissime docet confessionis auricularis secretæ utilitatem, & necessitatem, vt videre est apud Suarez disput. 16. sect. 1. & 4. Qui præterea obleruat optimè disput. 12. sect. 2. sub finem, eundem Chrysostomum in quibusdam locis, & Ambrosium in testimonio obiectionis; tantum docere, deleri posse peccata per contritionem extra sacramentum. Idque ipsum tantummodo colligitur ex locis illis Scripturæ, quæ indicantur ex Decreto. Quod nequaquam tollit, aut necessitatem confessionis vocalis postea superaddendæ, aut eiusdem confessionis votum inclusum in ipso actu contritionis, post institutum sacramentum pœnitentiæ, iuxta ea, quæ superius dicta sunt.

QVÆSTIO XCI.

Virum peccata venialia sint materia sufficiens huius sacramenti?

Videntur non esse. 1. Quia ea sola peccata sunt materia sufficiens huius sacramenti, quæ possunt remitti, ac deleri per ipsum. Peccata autem venialia non possunt remitti, ac deleri per istud sacramentum. Quia hoc sacramentum non confert vllum effectum impossibilem cum peccatis venialibus; quandoquidem ipsum sacramentum, & omnes eius effectus suscipi possunt cum quouis peccato veniali, etiam actuali, atque cum eodem componi. Fieri enim alioquin posset, vt quis peccaret lethaliter, præcisè, quia accederet ad sacramentum pœnitentiæ cum aliquo peccato veniali, actuali. Quod videlicet redderet sacramentum, aut inualidum, aut informè. Quæ tamè sequela à nemine admittitur, nec admitti potest.

2. Qui non habet peccata, nisi venialia, necesse vtique est, vt habeat in se gratiam iustificantem. Necesse verò insuper est, ad validam susceptionem sacramenti pœnitentiæ, vt pœnitens adiciat eidem gratiæ actum contritionis, vel saltem attritionis, ante absolutionem. Vterlibet autem ex his duobus actibus, simul cum gratia habituali, est sufficiens ad deletionem venialium. Ad quam nimirum sufficit quilibet motus pius conferens ad feruorem charitatis, iam præexistentis, vt dictum est quæst. 5. de iustificatione ad 9. ex D. Thomæ, aliorumque communi sententia. Nunquam ergo contingere potest, vt peccata venialia tollantur vi huius sacramenti, sed semper sunt, aut iam ablata ante absolutionem sacramentalem, aut non proximè auferibilia per ipsam. Non sunt igitur materia idonea, ac sufficiens huius sacramenti.

3. Non contingit, aliquid vnum, ac prorsus idem esse materiam sufficientem duorum sacramentorum. Ergo nec esse materiam alicuius sacramenti simul, & sacramentalium. Patet consequentia. Quia sacramentalia omnia differunt multo magis à quolibet sacramento, quàm quælibet duo sacramenta inter se. Necesse igitur est materiam etiam cuiusvis sacramenti differre multo magis à materia quorumlibet sacramentalium, quam materiam vnius sacramenti à materia alterius sacramenti. Peccata autem venialia sunt materia propria sacramentalium; Nullius igitur sacramenti materia esse possunt.

Art. 1. Respondetur peccata venialia non esse materiam necessariam sacramenti poenitentiae, ex natura, & institutione ipsius sacramenti; apparet satis ex quaest. praecedent. & clarius ex quaest. 87. Eadem nihilominus esse sufficientem, ac idoneam eiusdem materiam, habetur ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. Idem colligitur clare ex ipsa institutione Christi Domini ponderata in eadem quaestio. 87. Amplissima namque illa formula collata potestatis. *Quorum remiseritis peccata, &c.* aequè complectitur omnia vniuersaliter peccata absque vlla exceptione. Peccata autem venialia verè, ac propriè sunt aliqua peccata. Ergo verè, & propriè sunt materia subiecta potestatis sacerdotum, supra quam eorum remissio, & retentio, seu negatio remissionis cadere possit.

Art. 2. Accedit traditio perpetua Ecclesiae, & vsus frequens fidelium maximè piorum confitentium venialia, etiam sola, ac seorsim. Accedit rursus id Concilium cit. dicens ibidem peccata venialia multis aliis remediis expiari posse. Ergo à fortiori expiari possunt sacramento poenitentiae, utpote directè instituto in remedium peccatorum, cum iterabilitate, ut peccata, quae iterum, atque iterum committuntur de nouo, qualia sunt venialia, tolli possint per ipsum, quoties libet.

Art. 3. Quae quidem argumenta probant, remitti posse, per hoc sacramentum, peccata venialia, non solum quoad poenam, aut partem poenae minus principalem, sed etiam quoad culpam, & quoad totam poenam, saltem alterius vitae. Quia nomina peccatorum, quorum remittendorum vniuersalis potestas concessa est sacerdotibus, potius intelliguntur actus mali quoad ipsum malitiam, quam quoad poenam eiusdem debitam. Quoad poenam verò, tunc maximè remitti dicuntur, cum remittitur tota poena, saltem quae manet post hanc vitam. Rursus, per alia remedia, quibus istud æquiparatur, si etiam non praefertur à Concilio, tolluntur venialia quoad culpam, & totam eiusmodi poenam. Ergo quoad utramque, vi huius quoque sacramenti, tolluntur. Ex opere operato non minus, aut aliter, proportionè seruata, quam peccata lethalia. Itaque peccata venialia, tam quoad culpam, quam quoad poenam, sunt materia, proculdubio sufficiens huius sacramenti.

Art. 1. Ad 1. Nullum peccatum actuale, seu dum actu est, remitti potest, vel quoad culpam, vel quoad poenam. Quia ut dictum est quaest. 8. de iustific. ad 6. & alibi, tota cuiusvis peccati malitia est identificata cum eodem, & rursus reatus poenae est etiam identificatus cum malitia; atque Deus non aliter remittit peccata, quoad culpam, quam auferendo eorum malitiam, & reddendo hominem, de malo, seu simpliciter, seu secundum quid: bonum, seu simpliciter, seu secundum quid; & similiter remissio, quoad reatum poenae sit reddendo hominem, de digno poena, indignum poena. Quapropter peccata, nec lethalia, nec venialia, remitti vllatenus possunt, nisi ablata imprimis actuali eorum existentia, per liberam, aut necessariam cessationem ab illis, & impediendo deinde, atque remouendo moralem eorundem perseverantiam. Hoc autem fit, nec aliter fieri potest, quam substituendo in peccatore, bonitatem, ac dignitatem contrariam priori malitiae, ac indignitati, ideòque impossibile cum eadem.

Art. 2. Iam verò peccata venialia nullum donum habituale auferunt auctori suo, suntque praeterea cōpossibilia cum quibusvis auxiliis actualibus gratiae, quae Deus in nobis, sine nobis liberè, operantibus operatur. Ad istas autem duas classes, rediguntur effectus omnes positiui, quos, ex sua natura, & conceptu vniuersali confert necessario sacramentum poenitentiae. Quapropter non est de ratione huius sa-

cramenti, ut non possit suscipi, tum validè, tum etiam fructuosè, absque remissione, & deletionè vllius peccati venialis. Verum neque est de ratione eiusdem, ut non remittat peccata venialia, vel aliqua, vel etiam omnia. Cum enim vna pars huius sacramenti sit retractatio peccatoris, si ea fuerit de peccatis venialibus, aut aliquibus, aut omnibus; poterit utique sacramentum coniunctum cum tali retractatione, seu per talem retractationem partialiter constitutum remittere peccata venialia, aut aliqua, aut omnia, prout fuerit retractatio.

Art. 3. Vnde quod dicitur, sacramentum poenitentiae nullum conferre effectum impossibilem cum peccatis venialibus, etiam actualibus indiget distinctione. Conceditur enim, nullum conferre effectum, qui secundum se praecise sit impossibilis cum illis. Negatur verò, non conferre aliquem effectum, qui sit impossibilis cum eisdem, prout coniunctus cum retractatione peccatoris, circa talia determinatè peccata venialia. Quae quidem retractatio, secundum se praecise est intrinsecè impossibilis cum permanentia actuali peccatorum, quae retractantur; cum permanentia verò habituali eorum, & cum reatu poenae aliquando est impossibilis secundum se praecise, aliquando non nisi ut coniuncta cum sacramento, & eius effectibus, uti mox ponetur ob oculos distinctius.

Art. 1. ad 2. Malum proueniens ex peccato veniali, ratione cuius habitualiter perseverat, est diminutio feruoris charitatis, ut dictum est in quaestione nuper indicata de iustific. cum D. Thom. in praesenti q. 87. art. 2. Ista autem diminutio feruoris, quatenus proueniens ex peccato veniali, tolli nullatenus potest absque eiusdem retractatione formali, vel saltem virtuali. Quia, dum non retractatur, permanet habitualiter adhaesio ad bonum temporale charitati contrarium secundum quid, ideòque grauans aqualiter animum, quo minus feratur ad Deum per charitatem, eo modo, quo ferretur si non retardaretur eiusmodi adhaesione ad bonum temporale. Permanet, inquam, interim habitualiter per memoriam, aut per speciem memoratuiam sui, tanquam vltimi actus, vltimaeque electionis liberae circa tale obiectum. Memoria enim vltimae electionis nondum retractata circa aliquod obiectum, habet peculiarem quandam vim, eamque magnam inclinandi ad actum similem, & consequenter retrahendi ab obiectis quomodocumque illis contrariis. Quae de causa in repentinis deliberationibus, atque operationibus determinatur, saltem ut plurimum conformiter ad eam inclinationem vltimae electionis, insidentis adhuc animo habitualiter affectiue.

Art. 2. Verum contingere potest retractationem esse talem, ut licet sit necessaria, non tamen sufficiat se sola ad ablationem, & remissionem peccati venialis. Necesse nimirum est, ut id, per quod tollitur peccatum aliquod veniale, tantundem conferat ad feruorem charitatis, quantum valet idem peccatum ad diminutionem eiusdem feruoris. Nullum namque malum tolli potest, non inducto toto bono ablato per ipsum. Patet autem retractationem posse esse vsque adeo debilem quoad speciem, ac intensionem; & è contra peccatum veniale posse esse tantae malitiae; & vsque adeo retardatiuum charitatis, ex sua specie, ac intensione; ut non detur æquiponderatio, nedum excessus boni, posita retractatione. Ex quo vltius apparet retractationem sufficientem, se sola ad remissionem vnius venialis leuioris, posse nihilominus esse insufficientem, se sola, ad remissionem alterius peccati venialis grauioris, esto retracter vtrumque simul, ac indiuisim. Fieri igitur potest, non solum circa lethalia, sed etiam circa venialia, ut detur retractatio sufficiens, ad sacramentum validum, ac fructuo-

fructuosum, simulque insufficiens ad deletionem, tum lethalium, tum etiam venialium, vel omnium, vel aliquorum, ante realem susceptionem sacramenti. In hoc autem casu poterunt remitti, vel omnia, vel aliqua venialia, etiam quoad culpam, accedente sacramento, & per causalitatem eiusdem sacramenti.

Art. 3. Nempe sacramentum legitime susceptum confert plurimum ad feruorem charitatis, non solum quoad substantiam, collata gratia, & charitate, vel eius augmento, quod non sufficit secundum se præcisè, ad remissionem venialium, sed etiam accidentaliter quoad facilitatem, & suauitatem, atque intensiorem actum charitatis. Excitando nimirum peculiarem quandam deuotionis, atque consolationis spiritualis motum, quo animus ad Deum erigitur. *Difficultas namque confessionis* vt tradit Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. tot, tantisque commodis, & consolationibus lenatur, quæ omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur, &c. Licet autem tot ista, tantaque commoda, & consolationes sint indifferentes, ex natura sacramenti secundum se ad erigendum, ac stabiliendum animum aduersus prauam inclinationem, frigus, aut tepiditatem prouenientem ex præcedentibus qualibuscunque peccatis, seu lethalibus, seu venialibus; determinantur nihilominus, per dolorem, ac detestationem præexistentem aduersus ea determinatè peccata, quæ exponuntur de facto in confessione cum vero de illis dolore, ac detestatione, & ex intentione ea determinatè tollendi. Quia motionem spiritualem sacramenti, quæ quantum est ex se, est inductiua feruoris indifferenter, trahit determinatè in scopum suum dolor, ac detestatio talium determinatè peccatorum venialium, necnon intentio suscipiendi Sacramentum, vt eadem determinatè deleantur. Occursus etenim obiectorum, & causarum indifferentiam ex se ad excitandum, & fouendum motum deuotionis, ac feruoris in hac, vel illa materia, accipit necessariò determinationem à præexistente cogitatione, ac intentione, qua quisque antecederet disponitur. Omnis enim causa, ex se indifferens ad plures effectus, pluresque modos operandi, operatur determinatè iuxta dispositionem præexistentem in subiecto. In hunc igitur modum fieri potest, vt detestatio peccatorum venialium, vel aliquorum, vel omnium, quatenus adiuta, ac promota per accessiorem sacramenti, sufficiat ad deletionem illorum, & ad restituendum eum feruorem charitatis, qui per eadem imminutus fuerat, tametsi esset insufficiens, se sola, ad hunc ipsum effectum.

Art. 4. Nec obstat accidere posse, vt pœnitens nullum actum deuotionis, aut noui feruoris adiciat, ex motione sacramenti, vltra actum detestationis, quem præmiserit ad idem sacramentum, vel propter diuersionem ad alia, vel propter alienationem à sensibus, vel propter omissionem immediatè liberam omnis eiusmodi actus, dum perficitur, & ultimo compleitur sacramentum. Non, inquam, hoc obstat, quia nihilominus accipit pœnitens augmentum gratiæ habitualis, & inde ius ad vberiora auxilia gratiæ actualis, iuuantia specialiter ad finem, specialiter intentum in susceptione sacramenti, idest ad depulsionem tepiditatis inductæ, aduersus feruorem charitatis, per peccata venialia exposita in confessione, & terminantia detestationem eorum, quæ de facto fuerit pars sacramenti. Percipitur præterea per sensum, actu, vel potentia proxima, significatio symbolica sacramenti, & quæ de facto deuincta illi est prærogatiua largitatis, ac beneficentiæ diuinæ peculiaris contentæ in eodem sacramento, & inuitantis ad gratitudinem, atque ad fouendam, ac promouendam amicitiam cum Deo per obsequia charitatiua erga eundem. Quæ omnia, vt expositum est supra in communi quæst. 11. 24. &

25. circa conuenientiam, & causalitatem sacramentorum, disponunt animum validissimè ad feruorem charitatis contrarium diminutioni eius, quam induxerant peccata venialia. Per hæc igitur omnia reponitur animus pœnitentis, ex vi sacramenti in statu contrario illi, in quo fuerat constitutus per peccata venialia exposita in confessione, ac proinde extinguitur vis, quæ ipsis inerat, ad minuendum, ac retardandum feruorem charitatis.

Art. 5. Timendum verò nequaquam est, ne bona animi dispositio inducta per Sacramentum, ad eum vsque gradum, non perueniat, quem attigerat praua, animi dispositio inducta prius per peccata venialia, quæ clauibus Ecclesiæ legitime subiiciuntur. Quia sicut ex definitionibus fidei statuentibus peccata lethalia esse materiam sufficientem, & necessariam huius sacramenti, & absolutionis Sacerdotalis, rectè colligitur conferri, ex vi sacramenti, omnibus ad ipsum ritè dispositis tantum bonum, tantamque animæ perfectionem, quantum eiusdem animæ malum, atque defectus præcesserat in peccatore ob peccata lethalia: Ita etiam, ex definitionibus fidei statuentibus peccata venialia esse materiam sufficientem, æquè benè deducitur, omnibus quoad eorumdem remissionem ritè dispositis; idest consentientibus illa cum vera de ipsis contritione, aut attritione, & proposito emendationis, conferri ex vi Sacramenti tantum bonum, tantamque perfectionem, quantum malum, quantumque defectus præcesserat ex vi eorumdem peccatorum; & quidem bonum, ac perfectionem formaliter contrariam talibus peccatis, atque impossibilem intrinsecè cum morali permanentia eorum. Nempe declarare, peccatum aliquod esse materiam idoneam sacramenti instituti ad deletionem, ac remissionem peccatorum, perinde est, atque declarare, idem peccatum esse remissibile, ac auferibile per idem Sacramentum.

Art. 6. Quoniam autem quæst. 8. de iustific. pluribus efficaciter ostensum est, nullum peccatum remitti à Deo posse, nisi inducendo perfectionem illi contrariam, atque intrinsecè impossibilem cum eodem; concluditur hoc sacramentum, quatenus coniunctum cum legitima contritione, aut attritione de venialibus, aut omnibus, aut aliquibus, semper conferre dispositionem perfectiorem pœnitentis intrinsecè impossibilem cum morali eorum perseuerantia, atque adeo restitutionem feruoris charitatis, quatenus diminuti per eadem venialia. Si enim non induceretur huiusmodi effectus per sacramentum, dum remittit aliquod peccatum; fieri vtique posset, vt peccator, post remissionem, ac deletum aliquod suum peccatum, maneret nihilominus in eodem statu malæ inclinationis, ac dispositionis positivæ, & negativæ, in quo erat ante deletionem talis peccati; idest vt nihil esset melior, cum iam non est peccator, quam dum esset peccator. Quod profecto repugnat non minus, quam hominem esse corporaliter iam sanatum, & nihilominus non melius habere in se intrinsecè, in ordine ad operationes proprias hominis sani, quam dum ægrotalet. Quam notationem, & comparisonem oportet, habere præ oculis diligenter aduersus quasdam alias aliquorum auctorum doctrinas, & euasiones, circa præsentem difficultatem, quæ non videntur satis solidæ.

Art. 7. Notandum insuper est, ad remissionem, & deletionem venialium minuentium feruorem charitatis; non sufficere, quod reponatur, seu acquiratur tantundem feruoris utcumque compensans tepiditatem inductam per venialia. Fieri namque potest, vt qui est in maiori perfectionis gradu constitutus, ac proinde est feruentior absolutè in charitate, habeat nihilominus aliquod peccatum veniale, siue

actuale,

actuale, siue habituale; nullum verò tale peccatum habeat, qui est minus perfectus, minorisque absolute feruoris in charitate. Nemo enim est tam perfectus, iuxta prouidentiam ordinariam Dei, qui non possit peccare venialiter in sensu composito totius suae perfectionis, quasi substantialis; & vice versa nullus est tam imperfectus, qui non possit in Sacramento, vel extra Sacramentum, delere omnia sua venialia peccata, & abstinere per aliquod tempus, & breue interuallum, ab omni veniali, quin propterea pertingat ad eum gradum perfectionis, & feruoris in charitate, qui priori illi absolute inest. Necessè igitur præterea est, ad remissionem, & deletionem venialium, vt subinducatur formaliter, aut virtualiter feruor charitatis, qui sit directe contrarius diminutioni eiusdem feruoris inductæ prius per veniale, seu venialia, quæ præexistere, ita vt non solum compensetur, sed etiam tollatur vitæ retardatiua, seu tepefactiua charitatis, quæ iisdem peccatis peculiariter inest. Quæ de causa requisitus supra à nobis est determinatè dolor, & detestatio vniuscuiusque venialis, seu venialium, pro remissione, ac deletionem eorum, tam in sacramento, quam extra.

Art. 8. Sed quia dolor, & detestatio, quæ est pars materiæ huius Sacramenti, debet esse coniuncta cum proposito non peccandi de cætero, vt dictum est supra quæst. 88. ex Concil. Florent. & Trident. difficile apparet, quomodo deleri possint, per istud Sacramentum, omnia peccata venialia. Cum enim à nemine caueri imposterum possint omnia peccata venialia collectiue, vt dictum est quæst. 14. de grat. atque propositum de re impossibile sit impossibile, certè prudenter concipi nequaquam possit, ad Sacramenti verò constitutionem pertinere minime possit propositum imprudens, id est non procedens à virtute; videtur neminem disponi sufficienter posse, vt consequatur, per istud sacramentum, remissionem omnium venialium, quorum est reus. Dicendum autem est ex communi Theologorum consensu, quod docetur ab utroque eo Concilio, circa propositum non peccandi de cætero, accipiendum esse, quoad venialia, cum hac limitatione, quantum patitur humana fragilitas. Ita videlicet, vt verè proponat penitens emendationem imposterum quoad multitudinem, & magnitudinem venialium, velique adhibere diligentiam, quantum fieri potest, magnam in illis vitandis, licet non concipiat propositum efficax de totali vitiatione eorum omnium collectiue.

Art. 9. Nec obstat, quod alicui dum disponitur ad confessionem, atque in ipso actu confessionis, videatur se totidem, & talia imposterum commissurum esse peccata, quot, & qualia eo usque commisit, nullamque subsequituram esse emendationem. Quia propositum humanum, vtcunque efficax intrinsecè, re ipsa est mutabile, ac frustrabile, adeoque compossibile cum iudicio, in experientia, aut aliunde, satis fundato, de frustratione, ac mutatione subsequutura de facto. Nempe alterum horum pertinet ad voluntatem, alterum ad intellectum; atque actus vtriusque huius potentiæ, alter proponens, alter coniciens de futuro, nituntur diuersis motiuis, nullam includentibus in se contradictionem, vel mediata, vel immediata. Sufficit itaque quod propositum emendationis sit impossibile, dum perseverat, cum euentu contrario, sitque intrinsecè sufficiens ad inducendum se solo euentum sibi conformem, Deo bene iuuante per suam gratiam, & ad fundandam, quantum est ex se, siue nisi impediatur aliunde, spem prudentem de eadem emendatione subsequutura re ipsa, quæ doctrina, à Suarez, & aliis communiter tradita, locum habet, proportionem seruata circa peccata quoque lethalia.

Ad 3. Peccata sunt materia tantum remota, tam

huius Sacramenti, vt superius dictum est, quam aliorum, seu sacramentorum, seu sacramentalium. Nullum autem est inconueniens, quod detur conuenientia quoad materiam remotam, dummodo proxima, & intrinsecè constituens sit diuersa. Hæc autem, præsertim adæquatè sumpta, est longè diuersa in hoc sacramento, & in aliis, tam sacramentis, quam sacramentalibus, vt apparet ex dictis supra. Opportunum præterea est, vt hic aliquid obiter subiiciatur circa suppositum obiectionis quoad vim sacramentalium ad delenda venialia.

QVÆSTIO XCII.

Virum peccata venialia remittantur etiam per Sacramentalia ex opere operato?

Videntur remitti. 1. Quia antiqua ab initio nascentis Ecclesiæ, traditio de qua constat ex communi fidelium consensu vt affirmant, Soto, Ledesma, & nonnulli alij, tribuit sacramentalibus vim remittendi venialia ex opere operato. Ergo ea illis certissimè inest re ipsa.

2. Eadem vis remittendi venialia tribuitur. Primo orationi Dominicæ, tuncioni pectoris, & elemosynæ, c. Tres sunt, c. Medicina, c. Medicamentum, c. Quamobrem de Pœnit. d. 1. &c. Quotidianis de Pœnitentia d. 3. Deinde Aquæ Benedictæ canon. aquam, de consecratione, d. 3. ex Alexandro, 1. qui fuit quintus à D. Petro, & colligitur ex eius benedictione in qua petitur, vt sit in satisfactionem; in quam certè non esset, si neque venialia remittere posset. Tertio, Pani benedicto, canone cum omne crimen: de consecratione d. 2. Quarto, Benedictioni Sacerdotali, & maxime Episcopali, necnon vñctioni sacra in genere, canone Benedictio canone maledicam, canone Dicitur, 1. quæst. 1. & specialiter id colligitur de vñctione ex c. Vñctio de sacra Vñctione. Idem denique colligitur de oratione in Ecclesia consecrata, ex illo Regum 3. 8. 43. si quis cognouerit plagam cordis sui, & expandere manus suas in domo hac, tu exaudies, &c. Hæc igitur omnia habent vim remittendi venialia ex opere operato. Alioquin enim nullam prorsus vim peculiarem haberent aduersus illa, quam tamen illis peculiariter inesse, ex Textibus relatis, certissimum est, cum æquè certum sit apud omnes eadem non sufficere aduersus lethalia. Eadem porro ratio est de aliis quoque eiusmodi ceremoniis, & rebus sacris. Ergo sacramentalibus eiusmodi omnibus inest vniuersaliter vis remissionis venialium.

3. Potuit imprimis Deus Ecclesiæ suæ conferre potestatem, & auctoritatem instituendi sacramentalia cum virtute remittendi peccata venialia, de quo nemo dubitat, nec potest assignari ratio vlla dubitandi, quæ sit alicuius momenti. Deinde, vt dentur sacramentalia, præstita eiusmodi virtute, confert plurimum ad consolationem fidelium, & ad excitandam in ipsis deuotionem, pioque motus affectiuos erga res sacras, & earundem appetitiuos. Denique hoc idem est valde necessarium: certè est valde opportunum, ac rationabile. Vt nimirum adsint remedia facilia, & frequentissimè iterabilia aduersus malum, quod facillimè, & frequentissimè incidit: Cuiusmodi profecto remedium, & malum sunt sacramentalia, & peccata venialia. Christus autem Dominus contulit facto D. Petro, & successoribus eius potestatem, & auctoritatem ad ea omnia, quibus tanta, ac talis inesset utilitas, opportunitas, ac necessitas respectu fidelium. Contulit inquam per illa verba Ioann. 20. 17. Pæne ones meas, Matth. 16. & 18. Quæcumque solueritis: Quæcumque